



**CONSTANTINVS** Magnus, Constantij & S. Helenæ filius, cæteris fratribus patris etiam testamento, prælatus est. A Galerio Maximiano adhuc adolescens missus aduersus Sarmatas, præter opinionem hostes profligauit: Ducem catenatum ad Galerium duxit. veritus ex ea laude gliscentem Galerij inuidiam, Roma ad patrem in Angliam transfugit, qui paulò post moritur. Tum cunctis qui aderat annitētibus, sed præcipuè Eroco, Alemannorum Rege, imperat Constantinus, anno mundi 4271. à Christo nato. 309. Regnū Galliarum Hispaniarumq; & Alpium Cottiarum testamēto relictum accepit. veteranis militibus agros assignatos, vt ad filios suos transfirent, primus instituit. Accersitus in Italiam ab iis qui Maxentij tyrannidem ferre non poterant, biennio totam Italiam vrbemque Romam pristinae maiestati asseruit. hæc laurus Italiam ei adiecit & Africam: fuissetq; his contētus nisi Licinius qui Orientem regebat, vltimi belli civilis causam præbuisset, quem vicit. Tūcq; cognomē asumpsit Magni, quod antea soli Alexander & Pompeius acceperant. ita insolens factus, plurimorum se nobiliū, suorumq; etiam cæde polluit. Attamen Christum amplexus est, bonaq; quàm plurima in Ecclesiam cōtulit: Nicenam synodum 322. prælatorum, multis dissidentibus, indixit: literis impensè studuit, easq; fouit. Bizātium instaurauit, imperatoriámq; vrbem, & nouā Romam appellauit. vixit annos 66. imperauit 31. Pomp. Læt. obiit Nicomediæ in qua baptizatus fuerat ab Euse. episc. huius mortem denuntiauit crinita stella. Eutro. lib. 10: veneno aiunt periisse à domesticis parato, cū ille in Persas bellum pararet.

**FAVSTA**, Herculij filia, & Constantini vxor, peperit ei Constantinum, Constantem & Constantium, Helenamque & Constantiam. Faustam occidit Constantinus vir. Pomp. Læt.